



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. IV. An omnes Animæ constant partibus integrantibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

in capite videt, est diuersa à parte residente in cerebro: atqui hæc iuuatur ad suos actus à visione factâ à parte existente in oculo, aut pede, ergo etiam si anima essent distinctæ, posset vna ab alterâ
 43 iuari. Minor probatur, quia quò minus intensè operatur equus in aliis partibus, eò perfectiùs potest in capite; & si cor equi lædatur, etiam in capite non rectas habet operationes, ergo vna pars iuuatur aut impeditur operatione alterius partis, ergo ex hoc capite posset etiam diuersæ animæ se iuuare. His ergo argumentis relictis, standum est primo à nobis supra posito.

Secunda difficultas est, An anima rationalis sit formaliter vegetatiua, & sensitiua. Hæc est questio de solo nomine. Si per *vegetatiuum* intelligatur, quod in se crescit & augetur, certum est, eam non esse formaliter vegetatiuam, quia est indiuisibilis: si verò ea intelligatur, quæ est principium intrinsecum vegetationis, proculdubio est formaliter vegetatiua, quia formaliter est principium augmentationis substantialis ab intrinseco, vt omnes fatentur. Absolutè autem puto, illam dicendam vegetatiuam, quia hoc nomen non est
 44 idem quod *vegetabile*, significat enim præcisè virtutem augendi suum compositum; vegetabile verò est, quod in se etiam augetur, hoc autem non habet anima: sicut Deus, licet non sit formaliter mobilis, est tamen motiuus corporum. Eodem modo dicendum est, eam esse formaliter sensitiuam, id est, principium formale sensationum, per quam ipsa verè & realitè sentit, ac percipit obiecta, sed non esse formaliter sensitiuam, id est materialem.

Tertia difficultas est, An anima, vt rationalis, corpus informet. Negat Caietanus, alij fusè affirmant.

Dico Primò, questionem posse esse de nomine. Si enim dicatur ratiocinatio seu intellectio non recipi in corpore, verum omnino dicitur, & in eo sensu potest dici, *anima vt discurrens non informat*, id est, discursus non informat. Addo tamen, posse dici *vt rationalis informat*, id est dependet à corpore: quia licet intellectiones non recipiantur in corpore, quamdiu tamen anima est vnita, pendet etiam ad intelligendum à corpore. Hæc omnino certa. De re verò posset esse cum Caietano questio, si ipse veller distinguere in animâ ipsâ duas intrinsecas formalitates, vnam sensitiuam, discursiuam seu rationalem aliam; diceretque, formalitatem rationalem non vniri corpori, sed solam sensitiuâ. In hoc sensu omnino improbabilis esset Caietani sententia. Vt enim sæpè aibi docui, repugnat vnam eandemque indiuisibilem entitatem vniri secundum vnam formalitatem, & non vniri secundum aliam, seu secundum se totam, sicut non potest secundum vnam produci, & secundum aliam non; secundum vnam existere, secundum aliam verò non, de quo fusius Disputatione v. Logicæ à num. 25. vbi & eas formalitates, etiam in ordine ad cognitionem, vt omnino repugnantes, euidenter reieci. Illa omnia hæc à fortiori habent locum contra vnionem, in quâ vix vllus concedit, posse dari eam inadæquatam vnionem in creatis, licet in diuinis vniri possit immediatè relatio non vnità immediatè naturâ illi identificatâ, vt in humanitate Christi Domini de facto contingit.

Dices: Animus non communicat cuiilibet par-

ti suas operationes rationales, quia non vbique discurrit, ergo non vnitur in quantum rationalis. Respondeo, hanc reduplicationem, in quantum *rationalis*, iam à me esse supra explicatam. Nunc dico, aliud esse, animam non habere vbique suas operationes rationales; aliud, non esse ibi ipsam formalissimam virtutem, & radicem ratiocinandi. Hoc secundum est falsum, illud primum verum. Sicut licet Deus hic non conseruet Romam, hic tamen est ipsamet virtus conseruatiua, & omnipotentia Dei quæ Romam conseruat; neque vna formalitas est hic, alia verò Romæ: & ratio à priori est, quia non vbicumque est vna causa, debent esse ibi omnes effectus illius, vt per se est manifestum.

SECTIO IV.

An omnes Animæ consent partibus integrantibus.

EXPLICITVS partes essentielles seu Metaphysicas animæ, quod per definitionem essentialem fit; iam oportet partes physicas per definitionem physicam illius explicare, circa quæ duplex est difficultas, vna de animâ rationali, altera de sensitiua. Vtramque ferè eadem viæ explicemus, si prius differentiam rei spirituales à materiali exactè tradiderimus.

SUBSECTIO PRIMA.

Sententia asserens, esse de essentiâ rei spiritualis, carere partibus integrantibus.

HURTADVS Disputat. 2. à lect. 3. fusè conatur probare, rem spiritualementem in hoc differre à materiali; quòd hæc constat partibus integrantibus, illa verò eis caret, in quo sequitur P. Valquez, quem & refert, obicitque P. Suarez 49 zio, quòd hanc questionem confuderit, dum asseriuit, rem spiritualementem posse esse diuisibilem integraliter. Probat autem suam sententiam Primò auctoritate D. Augustini & D. Thomæ, attentionem, nomine corporis ab ipsis intelligi rem compositam integraliter: inò dicit, ab omnibus bonæ notæ Philosphis nomine corporis id ipsum intelligi. Verum hoc argumentum leue valdè est: & quidem ex D. Thomâ contrarium omnino ostendo. docet enim apud eundem Hurdum §. 88. animas brutorum perfectorum esse indiuisibiles, & tamen sunt materiales seu corporeæ; ergo sentit D. Thomas, conceptum rei materialis in communi, prout distinguitur à spirituali in communi, non consistere in partibus integrantibus.

Fortè posset respondere, consistere vel in partibus integrantibus, vel in commensuratione cum illis, & formas brutorum hanc habere commensurationem. Sed hoc ab eo dici non potest, qui vult, omnes res materiales in se formaliter consistere partibus, & omnes spirituales eis careere. Iam ergo videat, quæso, quomodo id ex sancto Thomâ probari possit. Respondeo, D. Thomam numquam absolutè negare spiritui partes vtrumque, sed quantitatiuas, prout expressè ex cis locis constat, per quæ est nobis liberum da-

re ei partes extensionis non-quantitativas, sicut ipsi & omnes dant rei spirituali partes intentionis non-quantitativas. Nec in hoc putant se à D. Thomâ discedere, qui tamen non facit distinctionem eo loci inter partes extensionis & intentionis. Legatur artic. 7. in quo de hoc agit, ubi solum in communi negat partes quantitativas; ubi etiam excludit à Deo omnes partes, nec inveniuntur in eo vlla specialis ratio de integritatibus, magis quam de intensivis. D. Augustinus difficilius loquitur: sed, ut isti observant, in materiâ explicandi corpus & spiritum, præsertim circa Angelos, valde fuit dubius S. Augustinus, nec ex eo argumentum pro nobis desumi potest. Hinc rursus ostendo, male dici, omnes bonæ notæ Philosophos eam differentiam posuisse. Cum enim D. Thomas & cum eo Thomistæ alij, in eam sententiam de brutorum perfectiorum animis indivisibilibus abiierint, necessariò omnes illi alium debuerunt assignare corporis in communi conceptum.

52. Secundò moti hi fuere olim hac ratione, quia, si res spiritualis, v. g. Vbi Angeli, constaret partibus integritatibus & extensivis, posset sine dubio palpari, quod tamen aperte est contra Christum Dominum, probantem sui corporis veritatem, eo quod palpari posset. Sed & colim hoc argumentum reijci: nam in ordine ad palpandum Angeli vbiationem, quid magis facit, esse per spatium divisibile viginti v. g. partes vbiationis, quam viginti vbiationes totales, casu quo Angelus divinitus in eo loco per eas vbiationes esset, aut eandem vbiationem in omnibus loci partibus replicatam? Certè vbiationes non fiunt palpabiles quia inter se vniuntur, sed quia impenetrabiles, quod tunc non haberent, ideo ipsi hoc argumentum postea omiserunt.

Tertiò moventur: Quia omnia corpora, quæ de facto sunt, eam habent compositionem, ergo illa est de essentia corporis vt sic. ideo enim dicitur de essentia hominis vt sic esse animalitas & rationalitas, quia homines omnes, qui de facto sunt, sunt animal rationale. Quod si abstrahimus conceptum ab his hominibus qui sunt de facto, & ab aliis substantiis non ventibus discursu, quamvis sint intellectuales, iam non concipitur homo vt sic, sed substantia abstracta ab homine & aliis. Idem erit in corpore. Argumentum hoc habet multum de questione de nomine, quod debebat distingui ab obiectivis, & aliquid etiam de re. De re habet, an sit possibilis vna substantia habens partes integrantes, quæ & diversa loca naturaliter occupare possit, & etiam naturaliter per se ad punctum reduci, seu penetrari, siue ea dicenda sit materialis siue spiritualis, siue corpus siue spiritus, quod secundum ad questionem de nomine pertinet; item, an sit possibilis è contratio vna substantia indivisibilis, quæ non posset cum aliâ eiusdem speciei in eodem loco existere seu penetrari, siue dicenda sit spiritualis, siue non, quod secundum ad questionem de nomine etiam spectat. His suppositis, iam ego respondeo argumento, nullatenus repugnare tales substantias; hi enim afferunt argumentum solum de nomine, quo illæ deberent nominari.

Dicent: Hæc secunda substantia indivisibilis & impenetrabilis omnino repugnat: quia si tan-

gitur, debet tangi adæquatè, & consequenter secundum se totam, ac tandem fiet penetratio cum illâ. Sed respondeo Primò, à me ostensum esse Disputatione penultimâ Physicæ, à num. 88. vnum punctum posse tangi sine penetratione; imò nec posse naturaliter vnicum punctum cum altero penetrari. Secundò respondeo, etiam si hæc substantia repugnet, saltem non repugnare illam alteram constantem partibus per se penetrabilibus, & quæ etiam possent extendi. Supposita ergo iam possibilitate illius, disputandum erit, an dicenda sit spiritualis, an corporalis, quod pertinet ad questionem de nomine, in quâ ego, propter rationes inferius reddendas, illam substantiam constantem talibus partibus voco *spiritum*; aliam verò indivisibilem, impenetrabilem tamen, voco *corpus*.

Exemplum autem quod afferitur de homine, non est ad rem: nam corpus & spiritus sunt duo nomina, quæ comprehendunt omnia entia; vnde quæcumque res debet vocari vno ex illis nominibus. Ostendam autem, licet omnia, quæ vocantur corpora, de facto habeant partes, non tamen ideo quia partes habent, vocari corpora: vnde bene infero, etiam illam substantiam possibilem, quæ illis careret, posse vocari corpus, quia non posset dici spiritus. At vox hæc, *homo*, est imposita ad significandum vnam speciem animalis, scilicet animal discursivum; vnde non potest nisi æquivoce applicari alteri substantiæ possibili intellectivæ, non tamen sensitivæ, aut non-animali.

Hinc etiam constat solutio Quarti argumenti, scilicet, nisi semel statueretur quid sit spiritus, nihil de illo definire nos posse. Cum ergo vniuersi Doctores dicant, spiritum esse substantiam simplicem, id profecto erit de ratione spiritus. Huic argumento respondi ferè supra, in primis, omnes Thomistæ cum D. Thomâ nomine *spiritus* aliquid aliud significare quam rem indivisibilem: nam formæ brutorum in eorum sententiâ sunt tam indivisibiles quam anima rationalis, & tamen hæc est spiritus, illæ verò non, ergo illi in aliâ re constituunt proprium conceptum spiritus. Item P. Franciscus Suarez rei spirituali dat diuisibilitatem, quem è nostrâ Societate ferè omnes recentiores sequuntur, ergo ex hac parte in questione hac de nomine plures ego habeo pro me Auctores. Addo, me ex ipsis aduersariis probaturum inferius, rem spirituales posse talibus partibus constare.

Quintò arguunt: Nisi res spiritualis debeat esse indivisibilis, non est vnde probetur animæ indivisibilitas. Respondeo Primò, ab obiectivis committi in hac probatione circulum: probant enim, animam esse spirituales, quia est indivisibilis; & esse indivisibilem, quia est spiritualis.

Replicabunt fortè, à se non probari spiritualitatem ex indivisibilitate, sed ex independentiâ à materiâ. Bene; sed tunc adhuc illos ego vrgeo, quomodo independentiâ à materiâ arguat carentiam partium: cur enim res composita non poterit esse independens à materiâ? quæ enim conexio inter hæc duo, non dependet à materiâ, ergo caret partibus?

Dicent: Si est independens, ergo spiritus, ergo indivisibilis, quia omnis spiritus est indivisibilis.

60 lis. Sed contrâ, quia hic iterum relabuntur in circulum: nam eam indiuisibilitatem probant à spiritualitate, spiritualitatem verò ab indiuisibilitate; nam à solâ independentiâ à materiâ non potest (vt in præcedenti replicâ ostensum est à me) indiuisibilitas demonstrari. Ecce, dum nobis obiciunt, non esse in nostrâ sententiâ argumentum ad probandum animæ indiuisibilitatem, ipsi eam probant manifesto circulo.

Secundò respondeo, eam indiuisibilitatem animæ posse probari aliunde, de quo nos infra.

Tandem argumentantur: Quia nisi dicamus, corpus consistere in hac partium extensione, non est vnde possit desumi differentia eius à spiritu, ergo. Sed huic argumento fiet satis, dum nostram sententiam probauerimus.

SUBSECTIO SECUNDA.

Res spiritualis potest habere partes integrantes.

61 DICENDVM cum P. Suarezio Disputat. 4. Metaphysica, sect. 1. & recentioribus communiter, rem spiritualementem posse constare partibus integrantes. Eandem sententiam fusiùs & solidius idem Suarez Tomo de Angelis lib. 4. per totum cap. 1. occasione vbiacionis Angelicæ probauit. Hæc suadetur Primò ad hominem contra aduersarios, & præsertim Hurtadum, ponentem duas vniones in homine, vnâ materialem in corpore, aliam in animâ spiritualementem & indiuisibilem. Quo posito, sic argumentor: Hæc vnio spiritualis recepta in solâ animâ, est diuisibilis integraliter iuxta materiæ partes, ergo res spiri-

62 tualis potest esse diuisibilis. Consequentia non potest esse clarior. Antecedens posset suaderi cum nonnullis, quia si illa vnio esset indiuisibilis, ablatâ quacumque parte materiæ, vel etiam additâ, tota vnio periret, & consequenter homo moreretur, quod est euidenter falsum. Hæc tamen probatio facile reuocatur: nam licet tota vnio deperdat, succedit tamen alia noua; idèd homo non moritur, sed mutat vniones. Melius ergo aliter idem Antecedens probatur, quia si vnio animæ ad corpus esset indiuisibilis, sequeretur, quotiescumque homo vel nutritur, vel amittit aliquam partem materiæ, semper mutari totam vnionem totius animæ ad totum corpus: nam eadem vnio vnio non est indifferens, vt iam has iam illas partes materiæ de nouo vniat, est enim alligata essentialiter his in particulari & determinatè.

63 Concedunt hi sequelam, negantque in consequenti vllum esse absurdum. Sed contrâ euidenter, quando homo nutritur pro priori naturæ ad nutritionem, cuius anima rationalis est causa, necessariò ipsa intelligitur vnita materiæ, ergo non potest pro illo instanti deperdi vnio præcedens, ergo manent simul hæc & ea quæ tunc primò acquiruntur, quarum quælibet est partialis; neque enim simul potest anima habere duas vniones totales cum totâ materiâ, constat ergo partibus ea vnio spiritualis animæ. Probatur primò Antecedens, ex quo reliqua manifestè sequuntur, scilicet, in priori ad nutritionem debere animam supponi vnitam, quia anima non est principium nutritionis vt separata, sed vt constituens hominem, qui propriè nutritur, non ani-

ma: sed anima, vt constituens hominem, includit vnionem cum materiâ, vt per se notum est; ergo in priori ad nutritionem debet intelligi vnio animæ cum materiâ. Confirmatur, nutritio pendet per se ab vnione animæ cum materiâ præcedenti, non è contrario vnio à nutritione, ergo vnio prior est naturâ nutritione.

Huic argumento dixi olim posse responderi, pro priori ante nutritionem debere intelligi animam vnitam aliquo modo cum materiâ, non tamen vnione tenente se ex parte animæ, sed ex parte materiæ, quæ materialis est, & distincta, in sententiâ ipsorum, ab vniose tenente se ex parte animæ. Sed contrâ Primò, quia ipsi alibi fatentur expressè, & meritò, solam vnionem tenentem se ex parte materiæ, non constituere perfectè essentiam hominis, hic enim dicit vtramque vnionem. Tunc sic: Non nutritur homo inadæquate & partialiter, sed homo essentialiter completus, ergo non supponitur pro priori ad nutritionem sola vnio tenens se ex parte materiæ, sed etiam, quæ se tenet ex parte animæ, & pertinet ad integram essentiam hominis.

Contrâ Secundò euidenter, quia si vnio materiæ cum animâ sit prior naturâ, quàm aggeneratio, etiam vnio animæ cum materiâ erit prior: nam ex vnione materiæ cum animâ necessariò sequitur vnio animæ cum eâ materiâ; at ex vnione materiæ cum animâ non inferatur necessariò aggeneratio nouæ materiæ, vt per se patet; ergo futurâ vnione materiæ cum animâ, prius naturâ debet resultare vnio eiusdem animæ cum materiâ, quàm aggeneratio, seu vnio cum adueniente materiâ. Probo euidenter consequentiam: quia quâdo ex vnâ causâ duo effectus sequuntur, vnus essentialiter, alius verò purè contingenter, prius pullulat ille qui necessariò essentialiter est connexus, quàm ille qui contingenter, &c. Et ratio est manifesta, quia hæc prioritas in quo non solum est prioritas causalitatis, sed etiam maioris connexionis. Sic, quia cum animâ (ponamus potentias esse distinctas) magis est connexa voluntas quàm actus intellectus, prius intelligimus animâ habentem voluntatem quàm intelligentem, etiam si voluntas non sit causa intellectus: & in Deo etiam si iustitia v. g. non sit causa creandi mundum, quia tamen est magis connexa cum Deo quàm volitio creandi mundum, prius intelligimus Deum iustum, quàm intelligimus volentem creare mundum.

Terriò eandem solutionem impugno, quia vnio animæ rationalis cum materiâ cordis, etiam si non sit causa aggenerationis (vt contendit solutio) est tamen omnino independens ab eâ aggeneratione: non enim solum materia cordis esset vnita animæ, sed etiam anima maneret vnita materiæ cordis, etiam si non fieret aggeneratio, ergo etiam vnio animæ ad cor est independens ab aggeneratione; at è contrario aggeneratio non esset, si non esset anima vnita cordi, ergo vnio animæ ad cor, licet non sit causa aggenerationis, quia tamen est ab eâ independens, debet esse prior naturâ, vel saltem debet esse distincta ab eâ aggeneratione: quod mihi sufficit ad probandum, ibi esse duas partiales vniones animæ, vnâ cum materiâ cordis, aliam cum materiâ aggeneratâ. Patet consequentia: quia si non esset nisi vnâ, non posset vnâ esse independens ab alterâ. Confirmo: id-

ed ipsa causa est prior in quo respectu effectus, quia causa potest existere sine effectu, non autem e contrario; hoc autem idem in eis vnionibus contingit, nam vnio animæ ad cor non pendet ab eo quod manus pinguescat, at pinguescere nequit manus, si anima non sit vnita cordi, ergo est idem fundamentum quod in causis ad prioritatem harum vnionum, quidquid sit de causalitate.

69 Vltimò tandem eam solutionem impugno, quia si prærequiritur aliqua vnio inter animam & corpus, gratis fingitur, eam debere esse quæ se tenet ex parte materiæ; potius enim videtur futura ea, quæ ex parte animæ, quandoquidem anima est, quæ efficienter facit eam aggerationem, & non materia.

Idè aliter Secundò respondent, animam vniri cum corpore multis vnionibus totalibus, v.g. vni minimo naturali vniri vnâ vnione, alteri nōnimo alterâ vnione; & sic dicunt, pro eo priori ad nutritionem supponi etiam animam vnitam, vnione tamen totali distinctâ ab eâ quæ acquiritur in nutritione, quæ antiqua vnio non vnitur cum adueniente. Sed hæc solutio facilius adhuc rejicietur,

70 Primò, quia ponere in homine vniones totales nec secum vnitas, nec facientes vnum, est etiam dicere, hominem non esse vnum per se. Quod ostendo euidenter argumento frequentissimo ipsi aduersariis, scilicet: formam non posse dare subiecto id quod in se non habet, sed illa vnio non est vna per se, sed multiplex adæquatè, quomodo ergo facit hominem vnum per se, cum ratio constituendi vnum sit ipsa vnio?

Secundò rejicio eas vniones totales, quia cuiuslibet intellectui benè disposito statim apparet, non esse explicabile, cur illæ vniones, quæ per totum corpus sunt sparæ, sint spirituales, casu quo non sint vnitæ; & e contrario, cur, si inter se tamquam bonæ sorores vnirentur, eo ipso omnem imperfectionem rei materialis contraherent; & iam inde ex solo eo capite incapacitatem ad intelligendum, ad amandum, & ad omnia alia quæ hi annectunt essentialiter rebus materialibus, etiam illis vnionibus debere conuenire. O infelix vnio, quæ talia secum damna affert!

Tertio, quia sæpè contingit, manere in homine animam vnitam non solum illi minimo naturali in quo absolute posset operari, sed illi v.g. & medio, & totam illam partem cum suis dispositionibus operari in cibum. Demus ergo, tunc disponi tam parum materiæ ex viciniore alimento, 72 vel licet in eâ solâ non posset anima rationalis existere, in eâ tamen simul cum præexistente possit; tunc ergo rogo, Illa vnio, quæ tunc producitur, non potest esse totalis, quia est in minori parte quam in minimo naturali, ergo debet esse partialis, & connecti cum præcedenti. Confirmo & explico: da in meâ manu esse tales vniones cum minimis naturalibus centum, & quodlibet minimum esse instar nucis auellanae; abscindat quis subtilem partem carnis, iam illud minimum ad quod ea pars pertinebat, non manet integrum, ergo non potest retinere vnionem totalem. quid ergo fiet? debet necessarîo loco illius quæ destructa est, succedere alia partialis, vt contendo.

73 Et virgo ampliùs: da, immediatè illam partem abscissam applicari & vniri iterum, sicut sæpè fit etiam in abscisso naso, iam tunc habeo intentum: nam anima vnita cum partibus aliis facit eam

nouam vnionem, ergo prior naturâ est vnio ad alias partes, & postea sequitur vnio ad istam partem nouam quæ est minor quam minimum naturale, vt supponimus; ergo non est capax vnionis totalis, ergo debet produci partialis vnio, ergo dantur partiales vniones spirituales, quod contendo.

Tandem argumentum supra positum contra omnes solutiones sic confirmo semper ad hominem contra aduersarios: quia si detur vnica vnio ad multas partes materiæ, sequitur, homines esse inter se specie diuersos, quod merito & ab aduersariis negatur. Sequelam probo euidenter, quia ipsi docent, dum agunt de æqualitate indiuiduorum eiusdem speciei, cognitionem indiuisibilem de duobus hominibus esse specie diuersam à cognitione de vno, quia ex sua essentiâ est perfectior. E quo sic argumentor: Ergo homo tantillo pinguior vel altior, quia habet vnica vnionem spirituale essentialiter respicientem plures partes materiæ, quam homo minor, habebit eo ipso vnionem specie diuersam; ergo ratione illius homines erunt specie diuersi, & semper quilibet à se diuersus specie, si pinguescit, vel si decrescit, etiam si solum vnum indiuisibile amplius materiæ acquirat vel perdat, quod falsissimum est. Et ob simile inconueniens negatur 75 ab aduersariis, actionem eductiuam formæ materialis in primo fieri esse vnionem illius, ne post eâ, mutatis causis, mutetur vnio in specie, & sic equus in secundo instanti sit specie diuersus à seipso in primo, quod maius inconueniens esset in homine, qui perpetuò mutaretur specie ob specificam vnionum mutationem.

Nec euadent, ponendo eas vniones totales ad minima naturalia, quia, vt supra dixi, potest quis vel extrahendo vniam guttam sanguinis qui in eorum sententiâ animatur, vel pelliculam imperceptibilem abscindendo, reddere partem remanentem, ad quam ea pellicula pertinebat, minorem illo minimo, & tunc vel produceretur vna vnio ad pauciores partes quam sint alia, vel vt illæ accedant ad alteram vicinam vnionem, & sic hæc habeat plures partes materiæ quas vniat, ideoque sit perfectior, & consequenter in eorum sententiâ specie diuersa. Denique, quia nec ipsi ponunt ea minima ita inter se æqualia.

SUBSECTIO TERTIA.

Idem nouis argumentis suaderetur.

SVAREZ supra relatus probat, vnionem animi 76 rationalis necessarîo debere esse compositam partibus; aliàs, inquit, intra breuissimum tempus nutritionis deberent produci infinitæ vniones totales, eò quod transierunt infinita instantia indeterminata, & nutritio illa facta est continenter sine interruptione; in quolibet autem instanti indeterminato debuit habere distinctam vnionem totalem. Hoc argumentum non premit aduersarios aientes, nutritionem non esse continuam, quo cessat totus processus in infinitum; idè ego formo argumentum in Angelo se continenter mouente, vel per ictum oculi: tunc enim acquirit successiuè infinitas præsentias totales & determinatas, ergo in ictu oculi infinitæ categorematice præsentia producerentur, quod absurdissimum est.

Ecc

Iuridissi-

surdissimum est. Sequela probatur, quia in qualibet parte indeterminata Angelus habet totalem presentiam; sed partes illae indeterminatae spatij, quas percurrit, sunt infinitae, ergo & praesentiae determinatae Angeli.

Mirum est, quam hoc argumento premantur aduersarij, qui Primò dicunt, illud nihil valere, quia multi ex his qui eo vtuntur, ponunt puncta finita. Sed haec solutio nulla est, quia ego ipso volo premere qui infinita puncta ponunt.

78 Secundò videntur velle inclinare cum Durando ad negandum Angelis motum localem, quod esset error peior priore. Vide quae dixi Disputatione XII. Physicæ à num. 88. de vicatione & motu Angelorum. Sed ne hic mihi euadant, in nostrâ animâ est eadem difficultas, etiam si Angelo negent motum: nam vvicatio animae rationalis est indiuisibilis in toto corpore, iuxta doctrinam quam impugno. Demus moueri manum, in actu oculi acquirit anima infinitas vvicationes totales, non secus ac Angelus; quia in qualibet parte indeterminata temporis nouam habet vvicationem totalem, sicut supra de Angelo argumentabar, nec enim ipsi admittunt motulas in motu.

79 Tertio tandem respondent, sicut à P. Suarez admittuntur in motu Angeli infinitae partes vvicationis, ita posse admitti infinitas vvicationes totales aggregatas in vnum sine vnione. Sed contra, quia hoc ipsum est summum absurdum: quia quando partes illae sunt vnitae, sunt proportionales & communicantes, ideo non faciunt infinitum simpliciter; at hic iam ponuntur illae vvicationes totales, vnde non possunt recurrere ad terminos, quibus se alias regunt, de communicantibus & proportionatis, sed debent necessariò dicere, eas esse infinitas simpliciter, quod ipsi reputant meritò pro absurdo.

Ego fateor, hoc argumento clarè ostendi, ab aduersariis debere infinitas simpliciter vvicationes concedi, neque hoc possunt effugere. Verùm quoad me non est magis absurdum, infinitas eas vvicationes sine vnione ponere, quam vnitas, vt eas ponit Suarez; quia vnio non tollit earum distinctionem & infinitatem simpliciter. Vnde agens de continuo, probaui, quidquid terminis rem inuoluunt, in re esse ibi entia infinita categoricè; vnde ex hac parte do aduersariis, hoc non esse speciale hic contra ipsos argumentum, nisi quatenus, ablati terminis *proportionalis & communicantis*, clarissimè hinc premuntur quam in continuo.

80 Sed ne hanc sententiam solum ad hominem probemus, ideo sic argumentor Secundò: Vvicatio animae est in omnium sententiâ spiritualis; sed haec est composita ex partibus extensiuis seu integralibus, ergo aliquid spirituale potest constare partibus integranibus. Probo Minorem, quae sola eget probatione; quia in priori natura, in quo anima rationalis intelligitur ante nutritionem, praetelligitur approximata materiae praesistenti, cui, quae supponitur vnitas; item praetelligitur approximata passio seu materiae in quam introductura est propria vnio. *Approximata* dico, id est iuxta illud passum, sicut causa est iuxta passum; non enim necessariò debet esse intra illud vt operetur, ergo pro illo priori iam supponitur vvicata in materia, quae praesistebat sub ipsâ animâ, & pro posteriori vvicatur de nouo

intra materiam, quare de nouo informat pro posteriori. Patet consequentia, quia vvicatio animae intra materiam est dependens ab vnione ipsius animae cum materia: neque enim anima vvicatur intra materiam cui non vnitur, quando non est in statu separationis, ergo pro secundo posteriori natura, pro quo datur noua vnio animae ad nouam materiam, datur etiam & noua illius vvicatio, & consequenter in eodem instanti dantur duae vvicationes spirituales in animâ non totales, quia, vt diximus, naturaliter nequit illas simul habere, ergo partiales, ergo res spiritualis potest partibus integranibus consistere. Neque hic possunt recurrere aduersarij, sicut in nutritione, ad vvicationem ex parte materiae, quia per illam solum anima non approximatur passio. Nec possunt etiam recurrere ad duas vvicationes totales animae, sicut vbi ad duas vniones, quia anima non potest, ex omnium & ipsorum sententiâ, duas simul habere vvicationes totales: nec potest negari, pro priori ad introductionem vltimae dispositionis in materiâ non requiri approximationem animae cum eo passio; cur enim ignis cum requirit, vt producat calorem, & anima non eandem requirit, vt producat suum calorem vitalem, & alias dispositiones? Loquor in communi & aduersariorum sententiâ; nam in Physicis ego docui, approximationem non esse pro priori natura. Nec tandem potest dici, tunc pro eo prioris vnionem quidem esse approximata, sed simul esse intra totam illam materiam quam informatura est, hoc, inquam, dici non potest, cum quia ad operandum non requiritur penetratio cum passio, cum quia penetratio cum materiae prouenit in animâ ex vnione, non è contrario: ideo enim ponitur totâ illâ materiâ, quia illa est disposita ad vnionem; non autem ideo est disposita, quia anima est localiter in totâ illâ materiâ. Nec video quid responderi possit, nisi negetur ad agendum requiri prius naturâ approximationem ignis cum passio, &c. quod non dicent aduersarij, est enim contra ipsorum doctrinam: ego forte id dicere possem verè, quia Disputat. VII. Physicæ à num. 73. docui, & lege Subiectionem sequentem.

81 Tertio idem ostendo, quia, vt infra probabo, quando video v. g. simul longum terra spatium, visio illa quam tunc habeo, est composita integraliter. Et quidem de visione externâ ipsi aduersarij admittunt; de internâ verò & spirituali ego idem probaui, quia efficacissimum argumentum ad probandam eam compositionem visionis quo ego vtor, inde desumo, quod clarissimè vnâ pars quam altera videatur, vt experientia ipsa docet; remotior enim non tam clarè videtur quam vicinior, ergo non est eadem indiuisibilis visio de vtroque. Patet euidenter consequentia: quia si esset eadem visio, esset etiam aequè intensa de vno ac de altero obiecto; in vnâ enim indiuisibili visione circa duo obiecta non est maior intensio circa vnum quam circa alterum, vt ex se est euidenter. Iam vltimus pergo: Non solum visio exterior, quam tunc habeo, est magis intensa, & clara de vnâ obiecti parte quam de aliâ, sed etiam ipsa cognitio intuitiua intellectualis, quae resultat ex exteriori; ergo etiam illa cognitio spiritualis habet partes integranes, iuxta partes obiecti visus, ergo res spiritualis potest habere partes integranes. Confirmo: si esset eadem indiuisibilis cognitio

nitio de toto caelo, sequeretur, quocies vel multa aliqua vel atomus se interponit aut se mouet, mutari mihi totam visionem de toto caelo, aut de mari, quod absurdum est, vt in simili ipsi intulere, ad probandum, non esse in toto mari vnica indiuisibilem substantiam, ne ad additionem vnus guttae tota deberet mutari. Idem autem absurdum iam hic sequitur, si totius caeli vnica indiuisibilis esset intellectualis visio. Item & in vbicatione animae sequitur, ad continuum motum cordis perpetuo in toto corpore animam mutare suam vbicationem, si haec non sit diuisibilis: dicendum ergo est, eam esse compositam ex partibus integrantesibus.

87 Denique, quia res spirituales possunt habere partes intensionis, ergo & extensionis, quia non est cur illae magis officiant spiritualitati quam haec.

Dices: Partes intensionis sunt in ordine ad perficiendum magis idem subiectum, quod non repugnat rei spirituali, partes vero extensionis sunt in ordine ad diuersum subiectum, quod repugnat rei spirituali. Sed contra Primò, quia petunt manifestum principium: ego enim contendo, eas partes perficere idem subiectum, aut diuersum, per accidens se habere in ordine ad spiritualitatem, quia non est maior ratio de his quam de illis, & e contrario; tu vero respondes, esse maiorem rationem, quia illae impediunt spiritualitatem, haec vero non; quae est tua conclusio à me

88 praecedenti argumento impugnata. Contra deinde, quia plures partes vbicationis in Angelo vel animae rationali etiam sunt ad perficiendum magis idem subiectum, licet in ordine ad diuersum locum & ad diuersum terminum. cur ergo se non compatiuntur cum spiritualitate: potest ergo res spiritualis partibus integrantesibus componi. Confirmo: non magis in intellectu perficiunt subiectum gradus intense cognitionis de eodem Petro, quam perficerent idem subiectum, eundem scilicet intellectum, multae partes cognitionis, quarum quaelibet repraesentaret diuersam partem obiecti, vt per se est manifestum; ergo ratione huius perfectionis non magis repugnant duae partes cognitionis, vna de hac parte albedinis, altera de alia, quam duae partes cognitionis de eadem albedine; ergo non magis haec partes integrantes cognitionis officiant spiritualitati, quam partes intensionis. nec video quae hic assignati possit bona disparitas.

SUBSECTIO QUARTA.

Expenditur aliud argumentum pro eadem sententiâ.

90 EADEM nostra Conclusio probari potest in praesentia Angeli ad locum diuisibilem, quae in omnium sententiâ spiritualis est, aliunde autem potest esse diuisibilis, ergo. Probo Minorem, & suppono, Angelum posse esse, pro suo libitu, vel in toto hoc Gymnasio v. g. vel tantum in dimidiâ illius parte. Ponatur ergo solum in dimidiâ parte, & decernat pro suo libitu, mouere se simul cum aliquo corpore sibi coniuncto ad nouam partem Gymnasij (quod fieri potest, negauit nullus;) in hoc ergo casu sic arguuntur: Pro priori naturae ante motionem Angeli ad nouum

spatium supponitur vbicatus, quia supponitur approximatus corpori quod mouet, quae approximatio formaliter consistit in vbicatione, & pro posteriori naturae acquirit nouam praesentiam; quia, vt supponimus, in eo instanti simul cum corpore mouetur, ergo in eo instanti habet Angelus duas praesentias, & eam quae se tenet ex parte causae, vt conditio ad operandum, & eam quae pro posteriori acquiritur, & praeterea non sunt totales, vt supponimus, ergo partiales; ergo praesentia spiritualis Angeli potest partibus consistere.

91 Posses respondere Primò, praesentiam ad nouum spatium non esse dependentem à motu illius corporis; sed potius esse illo priorem, ideoque in priori naturae Angelum esse praesentem toti illi spatio per vnica indiuisibilem praesentiam, quo corrumpit totum argumentum. Sed contra, quia supponimus in argumento, Angelum pro suo libitu decreuisse, non se mouere nisi praeterea prius naturae motu corporis, quod rectè ab ipso fieri potest: ecce ergo in hoc casu motus Angeli ad nouum spatium est posterior impulsu & motu corporis, consequenterque non potest se tenere ex parte causae ad motum corporis, ergo noua praesentia Angeli ad nouum spatium est necessariò distincta in eo casu ab approximatione, & praesentia se tenente ex parte causae, ideoque necessariò datur tunc duae praesentiae, & partiales, vt diximus.

92 Respondebis Secundo, pro priori naturae ad motum corporis non supponi Angelum vbicatum, praecipue quando mouetur simul cum corpore, sicut anima rationalis pro priori ad motum totius corporis non supponitur vbicata, alioquin in illo instanti haberet duas praesentias ad totum corpus, & eam quae se tenet ex parte causae, & eam quam de nouo in eo instanti totum corpus acquirit, & anima simul cum illo; ergo non datur in instanti, quo Angelus simul cum corpore mouetur, duplex praesentia, vna ex parte causae, & alia ex parte effectus, sed vnica ex parte effectus ad totum illud spatium. Quod vterius à priori potest ostendi, quia ante vbicationem, quam res acquirit per motum, non potest supponi vbicata, ergo neque Angelus in eo instanti ante motum supponetur vbicatus.

93 Sed contra, quia eo casu Angelus duo efficit: alterum est, se mouere, & ad hoc fateor non praerequiri in priori naturae vbicationem, ob rationem in responsione datam; alterum est, imprimere impulsu in lapidem, & ad hoc non minus praerequiritur approximatio, quam praerequiruntur in igne ad calefaciendum passum.

Ad instantiam de animae rationali se & corpus mouente, respondeo, eam ratione vnionis cum corpore esse illi approximata seu connexam, ita vt illam trahat quocumque se ipsam mouerit; vnde anima non mouet propriè corpus per impulsu, sed se mouendo: quando autem vna manus alteri vult imprimere impulsu, debet prius illi esse vicina; Angelus ergo cum non sit vnitu lapidi, debet, vt possit in illo operari, praetelligi illi approximatus per vbicationem, sicut & reliquae causae vt in passum operentur.

94 Adhuc tamen hoc argumentum non videtur esse efficax, probaretur enim etiam illo, Angelum non posse vnquam mouere lapidem, nec impulsu ei imprimere; nam pro priori naturae ad mo-

tum lapidis, licet ipse Angelus intelligatur vbicatus, lapis tamen non intelligitur cum vbicatione, ergo nec Angelus intelligitur lapidi approximatus. Patet euidenter consequentia, quia approximatō necessariō coalescit ex vbicatione vtriūque, ergo quando lapis non est vbicatus, 95 non potest esse approximatō cum illo: nisi dicamus, per impulsū non moueri corpus in eo instanti in quō imprimitur, sed in sequenti, ideoque ante impulsū productionem debere supponi vtriūque corporis approximationem prius naturā. Sed tunc manet difficultas, quando Angelus mouet lapidem, secum illum trahendo sine impulsu productō, sed immediatē in eo efficiendo vbicationem, sicut ego mecum traho vestes quando moueor; eo enim casu ante productionem eius vbicationis Angelus non supponitur vnitus cum lapide, vt de animâ cum corpore paulō antē dicebam; nec supponitur illi approximatus, quia vtrumque mouetur simul, & ante motum non potest supponi approximatō, quia nec supponitur vbicatio, ergo non est necessarium ad hoc, vt Angelus moueat lapidem, esse illi approximatum prius naturā. Vnde rursus infero, neque vt illum moueat; quia sicut potest in lapide producere vbicationem, etiam si prius naturā non supponatur illi approximatus, ita poterit producere impulsū; nec enim video rationem, cur magis productio impulsū prerequisite eam approximationem, quā vbicationis productio; quandoquidem videmus, tam non posse, imō multō minūs aliquem secum trahere rem distantem, quā non posse rei distantī imprimere impulsū; ergo nulla est ratio ad requirendam pro priori naturā eam approximationem. Vide quæ dixi de hac re Disputatione VII. Physicæ à num. 73.

SVBSECTIO QVINTA.

Dua sententiæ de materialitatis essentiâ reiectæ.

97 DICUNT ergo nonnulli, qui nobiscum rem spiritualement paribus posse componi admittunt, materialitatem desumi in ordine ad materiam, spiritualitatem verò in carentiâ eius ordinis. Sed contrā, quia corpus simplex, quod esse possibile dixi Disputatione V. Physicæ, num. vltimo, non haberet materiam, & tamen esset materiale, ergo materialitas non sumitur in ordine ad materiam. Contrā Secundò, quia ipsa materia est materialis, & non ex ordine ad materiam, ipsa enim non habet ordinem ad seipsam, ergo non dat rationem communem rei materialis.

Secundò alij constituunt materialitatem in ordine ad quantitatem, à quâ dependeat commensuratiue. Quod si illis obiciatur, ipsam quantitatem esse materialem, nec tamen dependere à quantitate, quia non dependet à se; Respondent, duplicem esse quantitatem, vnā formalem, 98 dicalem aliam. Formalem dicunt, quæ absolutè dicitur quantitas; radicalem verò, ipsam materiam, quæ radix est quantitatis formalis. Quantitas ergo formalis, quia commensuratur quantitati radicali, id est materiæ, materialis est; item materia, quia commensuratur quantitati formali, est materialis. Hanc opinionem reieci olim,

& nunc iterum reieci, eò quod in eâ committitur manifestè vitiosus circulus: nam materialitas quantitatis explicatur per materiæ materialitatem, & hæc per materialitatem quantitatis, nec sinitur in aliquâ re notā: sicut si quis diceret, materiam ideò posse recipere formā, quia forma est receptibilis à materiâ, & hanc ideò esse receptibilem, quia materia potest illam recipere, qui modus explicandi non dubium quin sit vitiosus. Contrā Secundò, quia valdè probabile est, quantitatem non distingui à materiâ, vel ad minimum illud est certum, possibile esse aliquod corpus seipso habens effectum impenetrabilitatis parium sine quantitate superadditā: quæ enim in hoc excogitabilis esse potest repugnantia? ecce, ergo illud non commensuraretur nec quantitati radicali, quia non esset subiectum quantitatis; nec quantitati formali, quia vt supponimus, non esset quantitas distincta, & tamen illud corpus verè esset materiale. Ergo materialitas in communi non consistit in commensuratione cum quantitate prout abstrahit à radicali vel formali. Denique reuicetur, quia non conuenit ea definitio creationi albedinis, quæ non commensuratur materiæ primæ, nec quantitati formali.

SVBSECTIO SEXTA.

Vera sententiæ.

100 DICENDUM ergo censeo, corpus esse substantiam per se impenetrabilem cum aliâ eiusdem speciei. Vbi Primò aduerte, à me non explicari corpus per impenetrabilitatem cum alio corpore, non quia in re ita non sit (si enim dico, cum aliâ eiusdem speciei, procul dubiò illa etiam erit corpus) sed quia si dicerem, corpus est quod est impenetrabile cum alio corpore, nihil prorsus declararem, relinquerem enim tam obscuram definitionem quā antea, ratione illius verbi, alio corpore. Vt enim sæpè dixi, non debet poni in definitione ipsummet definitum, nec in ordine ad illud declarari, esse enim idem peridem; sicut si dicerem, homo est, quod est eiusdem speciei cum homine, verum quidem dicerem, nihil tamen declararem. Ideò ergo dixi, corpus est substantia impenetrabilis cum aliâ eiusdem speciei; hoc enim modo datur per terminum clariorem, ex quo bene inferitur, si materia sit impenetrabilis cum aliâ materiâ, esse corpus; si forma cum aliâ formā, esse corpus, &c.

Secundò aduerte, à me non requiri ad rationem corporis, habere partes, sed solum, esse impenetrabile per se cum alio individuo eiusdem speciei. vnde, etiam si materia esset indiuisibilis integraliter, adhuc posset esse corporea, quia esset impenetrabilis cum aliâ eiusdem speciei. Hæc sententiæ in re est communissima inter recentiores, etiam si non omnes eam eodem modo explicant; & Hurtadus supra §. 25. eam putat probabilissimam inter omnes sibi aduersas. Eam tenetur P. Suarez tradere, quidquid Hurtadus in contrarium dicit: cum enim admittat, res spirituales posse constare partibus, non potest materialitatem in eis partibus constitutere, ergo debet recurrere ad hanc impenetrabilitatem, quæ eo ipso facit molem corpoream; est enim proprium corporum, vt se in eodem loco non partiantur. imò

imò & illi, quos præcedenti Sectione impugnauit, qui materialitatem per ordinem ad quantitatem explicant, in hanc sententiam in re coincidunt, quia per quantitatem eam intelligunt impenetrabilitatem, licet non bene loquantur, nec bene se explicent. Idem etiam & Thomista, qui res materiales putant posse esse indiuisibiles. Hæc sententia rectè explicat, quomodo materia prima sit corpus, quia per se est impenetrabilis, vel ratione quantitatis à quâ per se pender, si hæc distinguatur, vel ratione sui ipsius (vt ego probabilis iudico) quia per se est impenetrabilis, nec habet quantitatem distinctam. Explicat item, cur ipsa quantitas, si distinguatur, sit corporea, quia scilicet per se habet eam impenetrabilitatem. Tandem de formâ substantiali materiali reddit bonam rationem, eò quòd per se pender, vt à subiecto intrinseco sustentante, ab ipsâ materia affectâ eâ quantitate, & consequenter per se est impenetrabilis cum aliâ formâ materiali.

Antequam obiectiones, quæ contra hanc sententiam fieri possunt, proponam, eis que respondeam, explicandum est, an hæc definitio sit communis rei materiali vt sic; videtur enim ex duobus capitibus non conuenire omni rei materiali, tum quia ponit terminum *substantia*, non autem omnis res materialis est substantia, vt per se est notum, Secundò est difficilius, quia non omnis res materialis est impenetrabilis cum alterâ eiusdem speciei, nam gradus intensiōis in eâ sententiâ sunt homogenei, v.g. gradus caloris, & tamen vnus cum altero penetratur, ergo illis non conuenit definitio rei materialis. Propter hæc ego consulto supra dixi, à me definiti corpus; corpori autem rectè vtraque pars definitionis conuenit, vt supra ostensum est: non est autem idem, corpus & res corporea seu materialis; nam albedo, etiam si sit materialis & corporea, non est corpus; ergo illa definitio non est nisi solius corporis. Iam autem oportet explicare, quomodo definiatur res corporea in communi.

Primò, rectè quis dicit, posse definiti disunctiue, vt sit vel *quæ est per se impenetrabilis cum alterâ eiusdem speciei*, vel *commensuratur cum re hoc modo impenetrabili*. sic enim omnia comprehenduntur, etiam accidentia materialia, vt inferius in obiectionum solutione videbimus. Nec nouum est, definire disunctiue aliquam rationem communem; imò quoad hoc omnes aduersarij sunt in eadem naui nobiscum: nam etiam si explicent materialitatem per partes integrantes, tenentur dicere rem materialem esse, quæ constat vel partibus, vel dicit ordinem ad illas: nam punctum continuatum, siue vnio illa indiuisibilis, est materialis, & tamen non constat partibus, totum autem illis constat, ergo non datur vtrique rei eadem definitio nisi disunctiua: non enim potest dici, *res materialis est, quæ dicit ordinem ad partes*, nam totum non dicit propriè ordinem ad partes, sed est ipsæ partes; nihil autem dicit ordinem ad se, ergo nec illi possunt dare vnicam indiuisibilem definitionem pro vtriusque. Imò, licet dicerent definitionem esse *dicere ordinem*, postea hoc ipsum tandem explicant disunctiue, id est, vel dicit ordinem quatenus eis partibus constat, vel quatenus eas vnit; sicut etiam in Logica agens de iudicio dixi illud à nobis definiti non posse, nisi disunctiue per affirmationem vel

negationem, & in alijs rebus hoc idem contingit.

Forè Secundò aliquis diceret, posse reddi definitionem in communi, vt res materialis sit, quæ est impenetrabilis cum alterâ. Sed hæc definitio facile rejicitur: quia si dicatur impenetrabilis cum alterâ eiusdem speciei, euidenter rejicitur in gradibus homogeneis intensiōis, & etiam in visionibus materialibus; duæ enim visiones de duabus albedinibus separatis sunt inter se in eodem loco penetrabiles; ergo per impenetrabilitatem cum altero indiuiduo sibi simili, non potest tradi definitio communis omni rei materiali. Si verò dicatur, impenetrabilis cum altero corpore, petitur principium, vt supra dicebam: deinde falsum id est, nam omnia accidentia sunt penetrabilia cum materia & formâ, quæ sunt alterum corpus. Si denique dicatur, illam esse rem materialem, quæ cum suo subiecto non potest penetrari cum alterâ habente distinctum subiectum, falsum etiam dicitur: nam hoc etiam habet anima rationalis, quæ simul cum corpore in quo est, non potest cum alterâ animâ, habente aliud corpus, penetrari. Deinde, non dat definitionem sine disunctione: nam ipsum subiectum materiale non definitur, quod cum suo subiecto penetrari non potest, non enim habet subiectum, ergo non vitat, quod contendit.

Dicit quis Tertio: Potest definiti res corporea esse illa, quæ est quantitativa. Bene, sed contra peto à te, vt explices mihi, quid sit esse quantitativam; tunc enim debebis recurrere ad disunctionem, scilicet, vel esse per se impenetrabile cum alio indiuiduo, vel commensurari tali rei impenetrabili; nec poteris ibi vitare disunctionem. Fateor, hoc modo saltem in primâ explicatione non committi disunctionem, & ita posse hoc modo dari propter illos, qui terrentur, si prima definitio datur disunctiue, nec tamen cogitant in re idem esse postea eam dare in vltiore explicatione eius definitionis ac eam dare in primâ.

Dicamus ergo, rem materialem in communi esse *ens quantitativum*. Illud ens ponitur loco generis, & quantitativum, loco differentie. Vnde è contrario definienda est res spiritualis *ens non quantitativum*. Postea verò explicabimus illud *quantitativum* disunctiue, vel quod est per se impenetrabile cum alio indiuiduo sibi simili, vel habet commensurationem cum tali rei impenetrabili.

Rogabis autem vltiùs, quid sit habere eam commensurationem, ne videamur more Thomistico terminis rem confundere. Dico, esse pendere naturaliter ab illo vt à subiecto, aut vt à formâ; hæc enim dependentia est intrinseca, & facit rem pertinere ad genus sui subiecti aut formæ à quâ pender. Iam nis positus, facile obiectiones aduersarij soluentur.

SUBSECTIO SEPTIMA

Obiectiones solute.

PRIMA sit: Quia Vbi Angelicum est impenetrabile cum altero eiusdem speciei distantiori, ergo iuxta hanc definitionem erit materiale. Respondeo facilè, illud Vbi non esse propriè impenetrabile cum alio, sed immobile ex suo loco, Ecce 3 quod

quodlongè diuersum est; vnde fit, vt siue alibi sit alterum Vbi siue non, non possit ibi esse hoc Vbi; è contrario verò naturaliter possint esse in eo loco duo Vbi eiusdem speciei duorum Angelorum, etiam speciei eiusdem; ergo illud Vbi non est impenetrabile cum alio eiusdem speciei, sed quia immobile est, non potest esse in loco altero.

Sed hinc fortè insurges, & dices: Ergo Vbi materiæ non erit materiale, quia etiam non habet aliam impenetrabilitatem, nisi quatenus non potest moueri. Respondeo facillè, negando sequentiam. Disparitas est manifesta, Primò, quia Vbi materiæ etiam si esset per se penetrabile cum alio simili, habet tamen commensurationem cum materiâ, quod suprà dixi sufficere ad rationem rei materialis, scilicet dependentiam à materiâ vt à subiecto; at Vbi Angelicum non habet eam dependentiam. Secundò respondeo, Vbi materiæ naturâ suâ repugnare in eodem loco cum alio Vbi sibi simili, vnde ex se habet impenetrabilitatem.

Replicabis fortè adhuc: Vbi, quo Christus Dominus est in Venerabili Sacramento, est supernaturale quoad substantiam: si enim esset naturale, non posset ponere in eodem loco caput & brachia Christi. Vtteriùs, illud naturâ suâ est penetrabile, Vbi v. g. capitis cum Vbi manus, & adhuc est materiale, ergo non benè ponitur materialitas in eâ impenetratione. Respondeo Primò, à me probatum in materiâ de Eucharistiâ, illud Vbi esse quoad substantiam naturale, illa scilicet duo Vbi quæ successiuè in eodem loco possunt habere naturaliter manus & caput, illa inquam duo simul tempore ibi posita, quo corruit argumentum, quia illa naturâ suâ se excludunt, licet ibi miraculosè sint simul; sicut etiam ipsum caput & manus ibi miraculosè penetrantur. Secundò respondeo, etiam si essent supernaturalia quoad substantiam, & penetrabilia, adhuc tamen futura materialia propter dependentiam, vt à subiecto inhesionis, à corpore seu re materiali, iuxta paulò antè dicta.

Secundò dices: Gradus intensiõnis caloris v. g. sunt materiales, & tamen sunt penetrabiles cum alijs sibi similibus, ergo materialitas non consistit in eâ impenetrabilitate. Huic obiectioni iam ex dictis responsum est, dum ostendi, materialitatem accidentium non ex impenetrabilitate, sed ex dependentiâ à re impenetrabili desumendam esse.

Obijciunt hi Tertio: Forma bruti si sit indiuisibilis, non est impenetrabilis, & tamen est materialis, ergo materialitas non consistit in hac impenetrabilitate. Respondeo Primò, illam esse impenetrabilem cum aliâ eiusdem speciei. Secundò, illam esse dependentem à materiâ vt à subiecto, ideoque esse materialem, iuxta dicta suprà, etiam si non sit propriè corpus, sed corporea.

Obijcies Quarto: Actio, quâ de potentiâ absolutâ albedo crearetur, independentem à quantitate, esset materialis, & tamen non esset impenetrabilis per se, quia ex naturâ suâ petit suum terminum esse sine quantitate, & consequenter esse penetrabilem; ergo non rectè explicatur materialitas per impenetrabilitatem per se. Fortasse aliquis dicere, actionem illam esse spiritua-

lem, nec facillè impugnari posset; ego tamen censeo, non posse rem spirituales naturâ suâ dependere, vt à subiecto etiam adhesionis, à re materiali, quia spiritualitas est quoddam genus boni, quod constat ex integrâ causâ, ideoque non admittit aliquem defectum, qualis esset dependentia, vt à subiecto, à re materiali. Concedo igitur, eam actionem futuram materialem, quia habere esse materiale in accidentibus, nihil aliud est, vt à nobis suprà est explicatum, quam commensurari cum corpore impenetrabili, partes autem illius albedinis, licet penetrabiles sint, quia tamè naturâ suâ sunt dependentes à corpore impenetrabili, sunt materiales, & actio pendens ab illâ albedine materiali, vt à subiecto adhesionis, etiam est materialis: quæ solutio est doctrina expressa aduersariorum, qui hanc obiectionem contra nostram sententiam posuerunt. docent enim, omne ens pendens proximè aut remotè subiectiuè à materiâ, esse materiale; hæc illi: ego addo, ad hoc parum interesse, quòd materialitas materiæ ex partibus, vel quòd ex impenetrabilitate desumatur. Quam etiam solutionem tenentur reddere alij, qui ponunt materialitatem in ordine ad quantitatem radicalem vel formalem, etenim actio creatiua illa albedinis non habet aliter ordinem ad quantitatem radicalem, nisi quatenus commensuratur ex se cum re dicente ordinem ad quantitatem, eamque petente, licet sic & nunc, vt sub eo statu non possit à quantitate radicali aut formali dependere.

Adhuc potest Secundò responderi, eam actionem etiam esse naturâ suâ impenetrabilem: licet enim petat albedinem non causari à subiecto, petit tamen adhuc vt vnita sit subiecto; dixi enim alibi, educationem esse distinctam ab vnione. Cum ergo accidens duas habeat dependentias à subiecto, vnâ vt à causâ, alteram vt à complemento connaturali, & comparte sui, & hæc secunda dependentia sit diuersa à primâ (hi enim qui accidentia negant causari à subiecto, adhuc illi concedunt hanc secundam dependentiam) hinc fit, vt licet per creationem prima suppleatur, secunda tamen adhuc maneat, & illa albedo, etiam si creetur, petat vniri subiecto, & consequenter petat cum illo reddi impenetrabilis alteri. Nec potest esse actio, quâ ea exigentia vnionis impediatur: consistit enim in ipsametentitate albedinis, quæ semper manet, neque est sicut dependentia à subiecto in genere causæ, quæ prouenit à causalitate distinctâ, quæ deesse potest saltem diuinitus, & loco illius dari creatio. At loco vnionis nihil est quod detur albedini, pugnant cum vnione ad subiectum, etiam si fingatur aliqua subsistentia, hæc enim solum pugnat cum educatione, non cum vnione.

Sed obijcies contra primam solutionem: Si anima vniretur vnione partiali, in ipsâ solâ receptâ (vt posse fieri saltem de potentiâ absolutâ, dixi Disputatione iv. Physicâ, Sectione 2. in fine) illa vnio haberet partes extensas, & commensuratas materiæ à quâ penderet vt à termino intrinseco, & tamen non esset materialis, ergo materialitas non consistit in eâ commensuratione cum re quantâ. Responderet quis, eam vnionem non futuram quantitatiuam; quia, licet penderet à materiâ, non tamen vt à subiecto cui commensuraretur villo modo, sed præcisè vt à termino, quod non

non officit spiritualitati, sicut non officit cognitioni intuitiva albedinis, pendere ab albedine vt à termino illius.

Replicabis, à me alibi dictum, dependentiam à termino intrinseco esse vt à subiecto inhaesionis, ergo tam penderet vnio illa spiritualis à materiâ, quam creatio albedinis ab albedine; ergo tam materialis esset vna quam altera. Huic replicæ tenentur & ipsi aduersarij respondere, ostendereque, cur creatio puncti seu vnionis, quæ est indiuisibilis, & non pedit à re materiali inhaesiue, sed solû adhaesiue, sit materialis, vnio autè animæ, uæ etiam videtur adherere materiæ, non sit materialis. Porro, posse vnionem materialem creati, ipsi aduersarij fatentur: licet enim vnio essentialiter connectat extrema, non tamen essentialiter ab eis educitur. Iam ergo de illâ creatione puncti est eadem difficultas, quæ de creatione albedinis aut de vnione spirituali animæ, quæ adheret intrinsece materiæ. Si dixerint aduersarij, eam creationem puncti esse spiritualement, possum ego idem dicere de eâ creatione albedinis: si verò dixerint, esse materialem, eò quod pender adhaesiue à re materiali, tunc debent reddere rationem, cur vnio tenens se ex parte animæ, & adhaesiue, vt termino intrinseco, à re materiali dependens, non sit materialis, & ego eandem etiam reddam. Quod si assignauerint differentiam inter terminum intrinsecum, & subiectum adhaesionis, eandem ego assignabo. Confirmo hoc manifestè, quia ipsi dicunt, creationem tantum pendere, vt à termino intrinseco, à re creatâ, ergo non amplius pender à re materiali, quam vnio tenens se ex parte animi. Hæc ad hominem dicta.

Absolutè autem respondeo, propterea non posse intelligi vnionem spiritualement ex parte animæ, si dependeat à materiâ vt à termino intrinseco. Dedi quidem eâ Disputatione iv. Physicæ aduersarijs duas vniones possibles partiales, vtrum autem possit ea, quæ inhaesiue solû in animâ recipitur, esse spiritualement, huc reieci discutendum, quod iam nego.

Sed replicabis: Ergo vna res materialis potest adquatè recipi in subiecto spirituali, illa scilicet vnio quæ se tenet ex parte animæ; hoc autem videtur esse contra me, qui sæpè dixi, rem materialem non posse adquatè recipi in subiecto spirituali. Respondeo, à me non requiri nisi vt res materialis habeat aliquod subiectum materiale, siue adhaesionis siue inhaesionis, illa autem vnio, licet inhaesionis nullum haberet materiale, haberet tamen adhaesionis, non secus ac creatio materiæ.

Replicabis Secundò: Verbum diuinum est terminus vnionis, & non est subiectum, neque adhaesionis illius, ergo non est idem subiectum adhaesionis, & terminus intrinsecus; ergo non quia ea vnio habeat materiæ pro termino intrinseco, eam habebit pro subiecto, & consequenter non inferetur, eam esse materialem. Respondeo, subiectum adhaesionis vltra rationem termini intrinseci addere esse in se incompletum; ex cuius defectu Verbum non est subiectum; at in materiâ primâ, quæ est in completa, idem est, esse terminum intrinsecum vnionis, ac esse subiectum adhaesionis. vnde sicut creatio, quia habet pro termino intrinseco rem materia-

lem, est materialis, idem erit de vnione receptâ in animâ, quæ habet pro termino intrinseco materiæ, neque potest esse vnio spiritualis, si habeat pro termino intrinseco rem materialem.

Tandem obiicies contra præcipuam difficultatem, à me explicari materialitatem per dependentiam à quantitate, quod supra impugnaui Subsectione 5. Respondeo, à me explicari materialitatem corporis per impenetrabilitatem per se, quæ conuenit formaliter corpori, materialitatem verò aliarum rerum per dependentiam à corpore; quo non committitur vllus circulus: neque enim ego explico impenetrabilitatem materiæ per ordinem ad res materiales, & è contrario materialitatem harum per ordinem ad quantitatem, quod erat vitium explicationis supra impugnata; sed explico impenetrabilitatem quantitatis per eius essentiam sine ordine ad res materiales, per incapacitatem scilicet existendi in eodem loco cum alio eiusdem speciei, & postea materialitatem aliarum rerum explico per commensurationem cum eâ impenetrabilitate, in quâ explicatione sine circulo sistitur in aliqua re per se notâ, nempe in impenetrabilitate quantitatis, quam vel oculis cernimus. non ergo recidit nostra explicatio in eam quam Subsectione 5. impugnaui.

SUBSECTIO OCTAVA.

Anima rationalis caret partibus integrantes.

Qui dicunt, spiritualitatem in indiuisibilitate consistere, facillè effugiunt hanc difficultatem: nam cum anima rationalis sit spiritualis, necessariò in eorum sententiâ caret partibus integrantes. Nos verò, qui rem spiritualement diuisibilem agnoscimus, tenemur vterius reddere rationem, cur noster animus non constet partibus.

Prima aliquorum ratio est: Quia si anima rationalis haberet partes, esset corruptibilis; sed hoc est falsum, ergo. Probatur sequela, quia animæ pars quæ informabat manum, hac abscissâ deberet separari ab alterâ parte animæ. Vel ergo, vt sic separata, est operatiua, vel non. Si non, ergo perit, quia quod non potest operari, non potest existere: si verò potest operari, ergo ea pars verè est anima integra & totalis, quod est absurdum. Nec potest dici, eam partem animæ retrahi ad corpus, nam partes remanentes corporis iam informantur animâ, ergo.

Hoc argumentum non vrget, Primò, quia posset quis dicere, eam animæ partem, quæ separatur, esse quidem operatiuam, neque ideo esse animam totalem, sed adhuc dicere ordinem ad alias compartes; sicut licet omnes fateamur, animam rationalem separatam posse operari, non ideo cogimur dicere, esse ens totale & completum substantialiter. Secundò non vrget, quia sicut possunt aliqua entia diuidi ferè vtque ad indiuisibile, vt patet in atomis, etiam si in eo statu vix possint operari; cur non poterit ea pars animæ separata conseruari naturaliter, licet non possit in eo statu operari; Vt enim sæpè diximus, non est necessarium, quamlibet rem existentem esse operatiuam, vt aduersarij ipsi docent de modis. Ter-

127 tid, quia posset quis respondere, eam partem animam manere quidem intra corpus non informando illud (iam enim informatur ab aliis partibus animae) sed ut uniat cum aliis partibus integrantibus; nec esse absurdum, si aliqua partes illius animae materiam informant, alia vero non ob defectum subiecti, quantumvis ambae inter se sint unita. Denique Quarto, quia posset responderi, animam constare partibus integrantibus, quae omnes sint in quolibet puncto materiae, & omnes in tota materia, sicut de facto in Eucharistia omnes partes Corporis Christi sunt in quolibet puncto Hostiae, & omnes in tota: quo casu, etsi abscinderetur brachium, non amitteret homo aliquam partem animae, sed omnes partes essent in minori materia quam antea.

128 hinc sequitur, materiam informari duabus formis, sed praecise duabus partibus formae, quae requirentur pro quolibet puncto materiae.

Ex his colliges secundam aliorum rationem, desumptam ex eo, quod si anima haberet partes, una posset separari, quando existeret in gratia, & consequenter beateretur; alia vero quando existeret in peccato, quae & ideo damnaretur: absurdum autem esse, dicere, unam partem eiusdem animae damnari, beari alteram. Colliges, inquam, hanc rationem infirmam esse: posset enim iuxta duas ultimas solutiones argumenti praecedentis responderi, animam constare partibus integrantibus, quae omnes essent in eodem puncto & omnes in tota materia, ideoque nullam partem animae separari ab altera, sed omnes manere in minori materia quam antea, abscisso brachio vel manu, sicut modo in anima indivisibili contingit: quo corrumpitur praecedens argumentum. Vel posset quis dicere, etiam si pars animae a materia separaretur, non tamen separari ab altera parte animi, sed omnes semper esse unitas, & consequenter omnes idem praemium aut supplicium mereri, propter unionem inter se, sicut sua proportione de corpore dicitur.

129 Tertio arguunt alij: Anima est intellectiva Dei & Angelorum, qui carent partibus integrantibus, ergo & ipsa illis debet carere. Antecedens est certum. Consequentia vero probatur, quia sicut quod habet partes quantitativas, seu quod est materiale (quae idem sunt) eo ipso est inepta ad cognoscendum rem carentem partibus quantitativis, scilicet rem spirituales; ita similiter, quod habet partes integrantes, nequit esse cognoscitivum rei carentis praedictis partibus: ergo cum anima sit cognoscitiva rei carentis partibus, debet & ipsa illis carere.

130 Quod si eis obicitur, Anima, etsi dicat ordinem ad aliam partem substantialem, id est ad materiam, potest tamen cognoscere, quod non dicit talem ordinem, id est Deum & Angelos, ergo similiter res constans partibus integrantibus poterit cognoscere rem illis carentem. Respondetur, negando consequentiam, quia materia, quae est pars animae, iuvat ipsam animam ad cognoscendum Deum, quatenus recipit species, quibus utitur anima ad discurrendum de Deo, ideoque haec compositio essentialis non obest, ne una pars possit cognoscere rem carentem praedicta compositione, pars vero integralis non potest iuvare alteram partem, ut cognoscat rem carentem partibus, ideo potius impedi-

131 re, ne possit cognoscere rem indivisibilem. Sed contra Primum, quia supponitur in hac doctrina, spirituale non posse a materiali cognosci, quod forte falsum: imò etsi verum sit, non tamen redditur illius ratio quam in praesenti quaerimus. Secundò, quia etiam si anima non possit ex actibus materialibus in materia receptis ad Dei cognitionem venire, non ideo esset incapax cognitionis Dei per species ab eo illi infusas: rogo enim, ut anima separata Deum cognoscat, quid interest, quod in corpore ex speciebus materialibus ad Dei notitiam venire possit? Tertio, corpus subministrare species materiales animae, non efficit ne anima dependeat a materia ut a comparate substantiali possibili, neque item constituit animam in eodem ordine cum Deo; ergo neque efficit, ut anima possit Deum cognoscere; sicut per te, licet anima bruti esset indivisibilis, & in materia reciperentur species cognoscitivae, quae tamen semper maneret intra ordinem rei materialis, non possit rem spirituales cognoscere; ergo quandoquidem, recipi species in materia, non efficit animam completam substantialiter, nec eiusdem ordinis cum Deo, non proderit quidquam, ut anima possit Deum cognoscere, si forma tui argumenti contra meam doctrinam bona est. Explicatur vis responsionis seu instantiae: animam esse incompletam, & dicere praesens ad aliam partem substantialem, non illi obest, quò minus possit recipere species, quibus discurret de rebus carentibus partibus; ergo similiter constare partibus integrantibus non impedit animam, ne possit recipere species ad cognoscendum obiectum carens eis partibus. Quarto, quia quod potest esse compositum ex subiecto & forma accidentali, v. g. Angelus qui est capax recipiendi in se plura accidentia, licet per illa non iuuetur ad cognoscendum, potest tamen cognoscere rem omnino incapacem compositionis accidentalis, scilicet Deum: ergo similiter res constans partibus integrantibus, poterit cognoscere rem eis partibus carentem. Tandem, quia partes integrantes possunt inuicem iuvare ad cognitionem, possunt enim species recipi in una parte, & cognitio in alia, sicut adversarij dicunt de partibus essentialibus; ergo tam bene res constans partibus integrantibus poterit cognoscere rem eis non constantem, quam res essentialiter composita potest non compositam.

132 Quidam recentiores concedunt nobis, possibile esse diuinitus substantiam spirituales compositam partibus integrantibus; dicunt tamen, eam non posse esse intellectivam: unde inferunt, animam, quia est intellectiva, non constare partibus. Eam autem non posse esse intellectivam, probant, quia partes integrantes debent esse omnino similes, repugnat enim etiam diuinitus, heterogeneas res inter se continuari, ergo si una pars illius substantiae sit intellectiva, etiam erit & altera, quae est omnino similis; utramque vero esse intellectivam repugnat, quia intellectio de obiecto indivisibili non potest esse diuinitus, ergo repugnat substantia spirituales intellectiva, constans partibus integrantibus.

Vix in toto isto discursu vel una propositio assumitur vera: nam in primis, res diuersae speciei nec diuinitus posse continuari, falsum est, ut infra ostendam. Sed dicunt hi, Si res diuersae speciei continuari

continuari possunt, cur ergo de facto non continuantur omnia elementa, & alia corpora diuersa? Ecce huius doctrinæ Achillem. Verum ego peto ab his, Cur, quandoquidem res eiusdem speciei continuari possunt, non continuantur duæ manus se inuicem tangentes, aut duo adamantes, aut duo alij lapides? Sicut ergo, quod hæc non vniantur de facto, non reducent ad repugnantiam ortam ex diuersitate partium, sed ad talem harum rerum naturam, dicant idem de aqua & aëre, vel de lapide & auro, &c. Possent ergo illa anima constare partibus heterogeneis, quarum vna esset intellectiua, altera non, sicut de facto multi dicunt de formis animalium. Secundo, illa doctrina malè supponit, duas partes integrantes eiusdem animæ non posse esse intellectiuas; posset enim illis responderi, quod ipsi docent in animis brutorum quorum omnes partes sunt cognoscitiuæ; sunt enim homogeneæ: quia tamen non in omni parte subiecti habent dispositiones requisitas, non in omni cognoscit bruta; videt, audit, etiamsi quantum est ex se, tota illius anima sit auditiua, &c. Idem ergo posset in nostrâ animâ dici, scilicet, etiamsi haberet partes distinctas per totum corpus, & quantum est ex se omnes intellectiuas, ex defectu tamen dispositionum non vbiq; intelligere; sicut etiam de nostrâ animâ idem tenemur dicere: cum enim eadem sit in pede quæ in capite, ex defectu tamen dispositionum potest in capite intelligere, non verò in pede.

Tandem, quia posset dici, eandem intellectiionem esse in eis partibus distinctis, vel in qualibet parte esse partialem intellectiionem, non quia partem solum obiecti repræsentaret (hoc enim circa obiectum indiuisibile repugnat) sed quia, licet quælibet cognitionis pars totum obiectum repræsentaret, vnirentur tamen integraliter, vt subiectum constans partibus integrantibus perficerent, sicut de facto multi dicunt, visionem materialem albedinis esse indiuisibilem ex parte obiecti, hoc est, quamlibet partem visionis repræsentare indiuisibiliter totum obiectum, nihilominus tamen eam visionem habere partes integrantes, iuxta partes subiecti diuisibilis cui inhaeret. Quæ doctrina, licet falsa sit ex aliis capitibus, vt infra ostendam, non tamen ex eo, quod dicat, duas partes cognitionis repræsentantes idem obiectum posse inter se continuari. Idem ergo dici posset de nostrâ animâ.

138 Alij solum irridendo contrariam sententiam suam probant. *O quam rideo*, inquit, *considerans animam longam in corpusculo infantili contractam, ac se paulatim porrigentem*, &c. Sed eiusmodi probatio irridetur ab aduersariis vt indigna Philolopho. Adde, magis videri animam indiuisibilem contractam & porrigi iuxta magnitudinem vel paruitatem corporis, quam illam quæ haberet partes. Rideant ergo animæ nostræ indiuisibilitatem, considerantes eam extendi & contractam, caueant tamen ne risus reputetur error.

Iandunus quæst. 5. lib. 3. huius Operis, & Pomponatus lib. 1. de Nutritiione cap. 11. docent, solâ Fide teneri, animam esse indiuisibilem, ratione autem id non posse demonstrari. Ego dicere, nec ex Fide posse eam veritatem suaderi: licet enim Fide teneatur animam esse spiritualem, immortalem, capacem visionis Dei, &c. hæc ta-

men omnia rectè possunt saluari, etiamsi constet partibus; expressè verò nullibi definitur eam partibus carere.

PRIMA CONCLUSIO. De potentia absolutâ potest esse aliqua substantia spiritualis constans partibus integrantibus. Ita plures recentiores è nostrâ Societate; & probatur, quia nulla potest implicatio excogitari in existentia talis substantiæ, vt patet ex dictis in totâ hac Sectione de conceptu rei spiritualis; ergo.

Dices: Illa esset & non esset intellectiua: esset, quia spiritualis; non esset, quia res constans partibus non potest intelligere. Sed contra Primò, quia non est necessarium, omnem substantiam spiritualement esse intellectiuam; non enim apparet, cur essentialiter ex carentia partium impenetrabilem inferatur vis cognoscitiua. Contra Secundo, quia, vt ostendi, bene potest res composita integraliter, saltem secundum vnâ partem, cognoscere aliam omnino simplicem, sicut res composita substantialiter potest cognoscere rem simplicem substantialiter. Contra Tertio, quia posset esse cognoscitiua, saltem obiecti spiritualis compositi ex partibus integrantibus, quia cum illo esset proportionata in modo essendi.

SECUNDA CONCLUSIO. Potest esse de potentia absolutâ aliqua substantia, siue completa, siue incompleta, substantialiter carens partibus integrantibus. Hæc est certior præcedenti, quia magis proprium est rei spirituali, habere indiuisibilitatem quam diuisibilitatem, licet hanc vicumque possit habere; ergo si non repugnat substantia spiritualis composita, nec repugnabit simplex.

TERTIA CONCLUSIO. Anima rationalis est ex numero rerum spiritualium indiuisibilem. Hæc probatur Primò auctoritate communi, quæ in questione de facto magni momenti est. Secundo, quia licet argumenta supra facta non conuincant apertè hanc veritatem, valde tamen probabiliter illam persuadent; cumque pro opposita sententiâ nullum sit vilius ponderis argumentum, non dubium est, quin certa reddatur nostra Conclusio.

Dices: Nulla res potest esse in duobus locis etiam inadæquatis, ergo anima, quæ existit in pluribus partibus materiæ, non est indiuisibilis, sed composita. Respondeo, negando Antecedens in rebus spiritualibus propter maiorem illarum perfectionem; imò & in materialibus, id non repugnare de potentia absolutâ, dixi supra.

Dices Secundo: In illâ substantia spirituali compositâ ex partibus integrantibus, quam possibilem esse diximus, si de facto existeret, rectè intelligerentur omnia ea, quæ ægrè dicis intelligi in animâ; vnde ergo tibi constat eam non esse de facto productam, & illam esse animam? Respondeo, Primò, mihi constare ex auctoritate communi. Secundo, quia fortè illa, etsi constaret partibus, non esset simul immortalis, intellectiua, indifferens ad maiorem & minorem materiam informandam, vt est anima; ex quo probabiliter inferitur, non esse compositam. Denique, quia licet ea omnia vicumque cohareant cum diuisibilitate, ideoque in ordine ad potentiam absolutam non negetur eiusmodi substantia; dubitari tamen non potest, ea facilius coherere cum indiuisibilitate. Quando autem non est argumentum in oppositam sententiam, probabilior

modus

modus dicendi est, ea ponere de facto quæ sine difficultate percipiuntur; minus enim requiritur ut aliquid possibile sit de potentia absoluta, quam ut dicatur naturaliter existere.

SUBSECTIO NONA.

Quid aliq de Anima bruti indivisibilitate senserint.

OMNES animas plantarum divisibiles esse, dubitavit nullus. Eius probatio à fortiori constabit ex dicendis infra de animis brutorum: in speciali autem probatur, quia aliquando ramus ex arbore sectus, florescit in alia infertus arbore; ergo retinuit formam viventis, quam habuerat in arbore; ergo illa forma divisibilis erat in partes, quia non potest eadem anima poni in locis distantibus.

144 Possit quis respondere, non esse eandem animam rami florescentis post abscissionem, quæ fuerat antea, sicut non est eadem anima frumenti existentis in spicâ, & eiusdem postea emortui & novam gignentis spicam. Sed contra, quia si ramus amittat semel formam viventis quam antea habebat, & exsicceetur, quantumvis inferatur, numquam virefcit, ergo signum est, quod quando virefcit, non reproducatur alia forma plantæ de novo; si hoc enim ita contingeret, etiam amissa formâ priore posset virefcere.

Instantia de frumento non urget, quia hoc omnino emortitur, ideoque etiam post multos annos aptum est ad generandum spicam, quod signum est evidens, non habere tunc eandem

145 formam viventem, quam habebit in spicâ. Vltimius id confirmatur, quia frumentum non transit immediatè in frumentum vivens, quantumvis feminetur, sed corrumpitur prius, & postea acquirit formam spicæ, deinde formam frumenti quam prius habebat, eandem non numero, sed specie: virga autem inserta nec corrumpitur, nec transit in aliud compositum, nec eo corrupto in virgam, sed habet eandem formam quam antea; hoc autem manifestè ostendit, etiam eandem numero retinuisse formam viventis. Idem suadet in herbis: neque dicendum est, quoties aliqua pars herbæ dividitur, & in alia terrâ plantatur, amittere formam quam antea habebat, & aliam omnino similem priori acquisivisse; nam si semel priorem amisisset, non posset immediatè in aliam omnino similem transire, sicut eo ipso, quod corpus canis v. g. amittat formam canis, non potest immediatè in alium canem transire (idem est in reliquis viventibus); ergo manent in prædictis herbis abscessis, necdum exsiccatas, eadem partes formæ quas antea habebant, erant ergo illæ formæ divisibiles.

146 Neque item est dubium, plurima animantia habere animam divisibilem integraliter: si enim dividatur lacerta, quælibet pars separata movetur, ergo quælibet habet animam, sed non vique eandem numero, quia non potest aliqua res esse simul in duobus locis distantibus; ergo illa animæ sunt distinctæ, ergo anima lacertæ, antequam divideretur, componebatur ex duabus partibus, quarum una manet in una parte materiae separata, altera in alia.

Dices Primò, motum lacertæ abscissæ non fie-

ri ab animâ, sed à spiritibus vitalibus adhuc remanentibus in illa materiâ. Sed contra, quia cada lacertæ non solum movetur, sed etiam cognoscit; sentit enim se tangi, quod non potest fieri à spiritibus vitalibus, sed debet fieri à parte animæ ibi remanente, sola enim anima potest sentire.

Dices Secundo, Produciur nova anima in una ex illis partibus, & in alterâ manet antiqua, sicut in sententiâ ponente unionem animæ indivisibilem, quando acquiritur nova pars materiae, destruitur tota unio, & nova alia produciur, eo quod maneat dispositiones pro eâ unione. Sed contra, quia licet id non repugnet, certè facilius intelligitur, si dicamus eas partes esse distinctas, & quamlibet mansisse in suo loco. Contra Secundo, quia cur potius anima antiqua maneret in hac quam in illa parte? possent enim inter se ambare pugnare, quæ esset retentura antiquam formam. Contra Tertio & evidentiùs, quia nulla forma sensitiva per se naturaliter primò induciur in corpus ineptum operationibus præcipuis sensitivis & nutritivis, sine capite, & sine corde, &c. Instantia autem de unione non est ad rem, tum quia tunc datur unio ex parte materiae, quæ essentialiter petit illâ unionem novam in animâ, tum, quia ibi iam supponitur antea existens anima, nec primò introduciur, minus autem requiritur multò ut anima conferretur, quam ut primò introduciur in materiam.

Maior est difficultas, utrum etiam animæ animalium perfectiorum, equi v. g. leonis, &c. divisibiles sint. Thomista negant cum Alexandro, Alberto, & aliis apud Conimbricenses in præsentia cap. 1. quæst. 3. art. 2. qui probabilem censent eam sententiam. In contrarium stant Durandus, Argenteus, Agidius, Gabriel, commentator apud Conimbricenses supra, Suarez Tomo 1. Metaphysicæ Disputacione 15. sect. 10. num. 32. Toletus lib. 2. cap. 2. quæst. 5. Perterius lib. 6. suæ Philosophiæ, cap. 3. & Hurtadus Disputacione 2. de Animâ, sect. 4. item Murcia hic lib. 2. Disput. 1. quæst. 4. & recentiores communititer.

Probari solet Primò à nonnullis: quia repugnat, rem materialem naturaliter esse in duplici loco, etiam partiali; ergo repugnat, animam etiam animalis perfecti, quæ materialis est, esse indivisibilem. Pater consequentia, quia si esset indivisibilis, deberet eadem esse in capite, pede, &c. quod est, esse in pluribus locis inadæquatis. Hoc argumentum non premit aduersarios, qui negant, rem materialem non posse esse in duobus locis inadæquatis. Nec facile ratione naturali ea repugnantia ostenditur. Nihilominus satis probabiliter persuadetur ista sententia hoc argumento: videmus enim, nullam rem materialem posse acquirere novum locum, etiam coniunctum præcedenti, nisi amittat præcedentem, quod signum est, illi esse connaturalis, non occupare nisi unicum. cum autem nulla sit in oppositum ratio, ut constabit ex solutione argumentorum, non est cur formis materialibus etiam animalium perfectiorum concedatur ea virtus defendendi in duobus locis.

Secundò efficacius: Quia forma materialis educitur ex potentia materiali subiecti, ut latetur etiam aduersarij omnes: sed subiectum, ex quo educitur, est extensum, & partibus compositum; ergo etiam forma quæ ab eo educitur. Pa-

ter consequentia, quia non potest tota forma educi ex qualibet parte materiae, & tota ex tota materia, ergo ex qualibet parte materiae debet educi pars formae. Probo Antecedens, quia si forma equi v. g. educitur ex materia quae in primo instanti generationis recepit eam formam, ergo illa materia fuit causa adaequata eius formae, ergo non potest ex materia quae acquiritur per nutritionem, praedicta forma causari, quia iam sufficienter causatur a materia in quam primo fuit introducta; duae autem causae totales, vel vna totalis & alia partialis, non possunt influere simul in effectum. Confirmatur: quia vel forma equi quae est in capite, dependet a materia pedis, vel non. si dependet, ergo ablata materia pedis, destruetur ea forma, cuius contrarium experimur; si non dependet, ergo neque causatur, cuius oppositum a te docetur.

152 Possent huic argumento aduersarij respondere, quamlibet materia partem esse de te sufficientem ad conseruandam materialiter totam formam, vt causam adaequatam; in praesentia tamen alterius comparis attemperare suum concursum, & solum partialiter quamlibet concurrere, deficiente autem altera parte, iterum eam, quae remanet, concursu adaequato influere: quo fit, vt licet in primo instanti generationis ea forma causetur adaequate a sola materia in quam introducitur, acquisita tamen noua materia per nutritionem, iam a praecedenti solum causetur inadaequate, adaequate autem & a praecedenti & a noua. Item, licet de facto causetur forma capitis a materia pedis, & ab illa dependeat, non ideo abscesso pede formam illam perire; nam materia, quae remanet, auget suum concursum, & supplet defectum materiae abscessa, sicut contingere in causis efficientibus vniuocis, diximus in Physicis. Nec videtur, cur duae causae vniuocae efficientes possint attemperare suum concursum, non vero duae materiales etiam vniuocae.

153 Sed contra, quia licet duo ignes, aequaliter & aequè primo approximari passo vterque concurrat ad producendum ignem, si tamen aliquis eorum primo applicatus sit, & quasi primo possideat ius ad operandum, quantumuis alius postea accedat, prior non attemperabit suum concursum; ergo cum materia, in quam primo introducta est ea forma, & quae sola primo cepit causare formam, duret approximata, habeatque ius primo possidentis, non est cur attemperet suum concursum adueniente alia; ergo non potest, si est indiuisibilis, a tota ea materia pendere.

154 Hac replica non est admodum efficax, quia hoc de maiori iure, &c. non habet vim pro secundo instanti, in quo iam aequale ius possunt amba habere; quia tunc iam sunt aequè applicatae. Adde, hoc de maiori iure esse solum congruentiam, quae facile potest negari. Ideò Secundo melius eam solutionem rejicio, quia cum in equo v. g. forma illius sit causa agenerationis, necessario pro priori natura debet supponi existens; ergo etiam supponitur adaequate conseruata, ergo in eo instanti non potest etiam simul causari a parte materiae de nouo acquisita, sed necessario debet a sola praexistente. Et hinc rejicitur solutio aliorum, qui dicunt, pro priori natura ante nutritionem non supponi formam dependentem actu a materia, sed solum potentem pendere. Constat,

inquam, hanc solutionem nullam esse, quia cum ea forma causetur a materia, non potest intelligi potens causari, antequam actu causetur, quia non potest esse existens, nisi causetur.

Adhuc tamen posset responderi huic replica, & toti argumento, in instanti quidem nutritionis non pendere eam formam a materia adueniente, propter rationem in replica factam; in alijs vero instantibus antiquam materiam attemperare suum concursum, & simul ab ea & a noua eam formam causari. Quod si aliquando contingat, vt etiam ex materia quae in prima formatione disposita fuit, & ex qua primo est ea equi forma educta, aliquid postea successu temporis deperdat, tunc reliquae partes materiae augebunt suum concursum, vt suppleant defectum eius materiae abscedentis. Haec solutio licet propter tot variationes in concursu non careat difficultate, qui tamen eam defendere voluerit, non poterit ratione efficaci conuinci.

Tertio alij sic argumentantur contra has formas indiuisibiles: Forma prout est in capite, dependet a materia pedis; sed hoc non potest esse, quia non est vnita cum illa materia, ergo vel neganda est dependentia illius formae ab omnibus partibus, vel si conceditur, debet poni ea forma diuisibilis: negare autem eam dependere ab omnibus partibus, videtur absurdum, ergo ponenda est diuisibilis. Hoc argumentum ex vltima responsione pro praecedenti constat esse leuissimum, Primo, quia potest negari ea dependentia ab omnibus partibus sine absurdo. Secundo, quia quando dicitur, forma prout est in capite, dependet a materia pedis, vel reduplicas supra solam formam, & vt sic fateor dependere a materia pedis, nego tamen non esse vnitam cum illa: cum enim eadem ipsa forma sit in pede, iam est vnita illi materiae. Si vero reduplicas supra vbiocationem in capite, falsum est illam pendere a materia pedis, neque enim ea vbiocatione producitur a materia pedis: ergo licet forma capitis dependeat a materia pedis, adhuc non est necesse, vt prout in capite sit vnita cum materia pedis; sed sufficet, eam esse absolute vnitam cum materia pedis. Quod confirmatur ex dictis Disputatione xiv. Physica, Sectione 7. non requiri, causam esse in omnibus locis vbi est effectus illius, sed sufficere, si sit in aliquo. Ego hanc quaestionem sequentibus Conclusionibus decido.

SUBSECTIO DECIMA.

Vera in hac re sententia.

PRIMA CONCLUSIO. Non repugnat de potentia absoluta forma aliqua materialis indiuisibilis. Probat, quia, vt diximus supra, nulla est repugnantia in eo quod dicitur aliqua res materialis indiuisibilis; quo posito, nulla est ratio, cur non possit esse eiusmodi forma substantialis, quae est perfectioribus inter res materiales. Hoc do Thomists.

SECUNDA CONCLUSIO. Nec repugnat forma substantialis animalis composita ex partibus. Hae est certior praecedentibus, quia magis propria est rei materialis diuisibilitas, quam indiuisibilitas; ergo si potest esse forma indiuisibilis, poterit etiam esse diuisibilis.

TER-

TERTIA CONCLUSIO. Formæ materiales, quæ de facto existunt, sunt diuisibiles. Probatum Primò à paritate rationis aliarum formarum non viuentium, quæ omnes diuisibiles sunt, non autem est specialis ratio in viuentibus (excepto homine, qui constat formâ spirituali;) ergo quod de illis dicitur, est etiam diuersimodè philosophari, si non habemus vllam rationem ex quâ colligamus differentiam.

158 Dices Primò: Possibilis est forma indiuisibilis, ergo eiusmodi est forma omnium animantium. Hoc argumento mouentur nonnulli, ad dicendum, etiam animas imperfectorum animalium esse indiuisibiles. Quod si illis obijcias experientiam à lacertâ petitam; respondebunt, à Deo produci nouam animam indiuisibilem, similem omnino priori in vnâ ex illis partibus, in altero verò manere eam quæ antea erat. Quod si rursus roges ab eis, cur moucantur; ad hoc docendum respondent, præcisè moueri se, quia est possibilis forma materialis indiuisibilis.

159 Sed contrà Primò, quia pari ratione tenentur hi dicere, omnes formas materiales siue substantiales siue accidentales, esse indiuisibiles, & quando separatur vna pars ignis ab aliâ, produci à Deo formam indiuisibilem ignis in vnâ ex illis materijs, & in aliâ manere formam indiuisibilem, quæ priùs totum subiectum perficiebat. Idem in separatione vnus albedinis ab alterâ. Imò multò melius posset id doceri in igne quâpp in lacertâ: nam forma ignis nullam exigit organizationem, ideoque non mirum, si posset primò introduci in parte materiae separatae, forma autè lacertæ exigit corpus organicum constans capite, corde, &c. ideoque non potest introduci primò adæquata forma in corpus truncum, carens partibus principalibus, scilicet corde, capite, &c. vt & supra dixi; ergo non potest in abscissâ caudâ primò introduci adæquata forma lacertæ: satis enim multum est, si possit conseruari ibi per aliquod tempus pars formæ, quæ antea etiam ibi erat.

160 Respondebis, non esse bonum argumentum à lacertis ad ignem, tum quia non est eadem de vniuersæ auctoritas, tum quia, si lacertâ ad longum per medium secetur, non manet ibi anima; quod non potest reduci, nisi ad eius indiuisibilitatem. Hæ responsiones nullæ sunt. Non prima, quia hic agimus de ratione, non de auctoritate. Non secunda; siue enim anima sit diuisibilis, siue indiuisibilis, dicendum est, in eis partibus sic in longum diuisis non manere dispositiones pro formâ sensitiuâ, siue partiali siue totali: neque video, quid conducatur ad hoc esse indiuisibilem, magis quàm diuisibilem; vbi enim ego pono mediam animam, quæ aliâ in colubro minori poterat esse totalis, tu ponis vnâ totalem; ergo quoad hoc nulla est differentia: & sicut in tuâ sententiâ non potest ibi manere vnâ indiuisibilis totalis, ita nec in meâ poterit manere vnâ diuisibilis, quæ licet sit pars præcedentis, est tamen ex se capax, vt in minori corpore sit totalis; pono enim ego eas partes omnino homogeneas, de quo infra.

161 Secundò impugnatur ea doctrina: quia cum quælibet ex illis duabus partibus sufficiat ad retinendam formam lacertæ præcedentem in totâ materiâ, nec maior ratio sit cur in vnâ quàm in

aliâ maneat, vel debent inter se contendere quæ illarum eam retineat, vel in neutrà debet manere, & consequenter producentur duæ formæ adæquate de nouo; quæ omnia absurda sunt. Quis enim dicit, corrumpi eam formam, vt alia omnino similis in sequenti instanti producatur? Vide quæ supra diximus, & in Phisicis contra docentes, accidentia corrupti non manere in gemitu, sed alia omnino eiusdem speciei; ea enim argumenta militent contra præsentem opinionem.

Denique, quia sine vlllo fundamento reducuntur hi Auctores ad has angustias, præcisè quia possibilis sit de potentia absolutâ formam indiuisibilis, cum fortè non posset ea simul cum indiuisibilitate habere, quæ habent illæ formæ quæ de facto dantur; hi autem Auctores volunt in vnâ coniungere quæ inter se repugnant, licet seorsum quælibet ex illis possibilis sit.

Melius ergo potest Secundò obijci in fauorem bruti perfecti, quæ abscissâ aliquâ parte corporis bruti perfecti, non manet in illâ anima; manet autem in parte lacertæ abscissâ, ergo quia huius anima est diuisibilis, illius indiuisibilis. Respondeo Primò cum Hurtado, id non oriri ex maiori perfectione: non enim dubium, quin coluber & anguilla perfectiores sint mure vel vesperthione, aut muscâ, & tamen hi facti non viuunt, secus illi. Secundò respondeo, probabile esse, etiam in bruti perfecti parte abscissâ manere per breue tempus partem animæ, quia, vt refert idem Hurtado ex Aristotele, aries abscisso capite aliquantum ambulauit progressiue, & ex Galeno, vitæ extractis extis ambulauerunt aliquando. Imò & noster P. Iosephus de Acosta lib. 5. de historia Indicâ cap. 22. refert, Hispanum quemdam, extracto corde à barbaris vt immolaretur dijs, hæc dixisse, *Caualleros, muerito me han*, id est, Equites, occisus sum. Tertiò respondeo, ex diuersissimâ animantium naturâ oriri, vt aliqua ad sui conseruationem talem exigant organizationem & dispositionem, vt corpore per medium scito, vel abscissâ parte principe, corde scilicet, aut capite, nequeant nec per vnicum instant conseruari, alia verò saltem per breue tempus possint durare; quod non reduco in maiorem vel minorem perfectionem, propter dicta de anguillâ & mure aut muscâ; sed in diuersam perfectionem, siue maior siue minor siue æqualis sit.

Tertiò obijcitur: Quia, si equus percussus in aliquâ parte, monet totum corpus, ergo quia eadem anima indiuisibilis est in toto corpore. In primis hoc argumentum retorquetur in quolibet animali, etiam reptili, quod percussus in quolibet parte corporis mouet totum corpus, vel fugiendo, vel se defendendo. Respondeo absolute, eam partem animæ equi, quæ residet in pede v.g. sentire ibi dolorem, quia habet ibi potentiam sensitiuam, id est tactû, inde autem emittere species per neruos sensorios ad caput, vbi est potentia appetitiua, & sensitiua communis. Hæc efficit ibi cognitionem doloris in pede caudati, ex quâ cognitione appetitus imperat actum potentia loco motiua, de quo fufius infra.

Sed replicabis: Omnes partes corporis, si capiti malum immincat, illud tutari conantur, ergo quia est eadem anima in omnibus partibus, aliâ quælibet pars se priùs quàm alteram comparem defenderet. Respondeo, hæc replicâ nimium probari,

166 bari, scilicet, bruta esse vnde docta, & doctiora nobis, quia sciunt eandem esse animam suam in capite quam in pede & aliis partibus, de quo nos dubitamus. Quod si dicas id fieri sine eâ notitiâ, tunc ego respondebo, à naturâ inclinari ad defendendum caput, quia inde vita ipsorum præcipue dependet. imò addo, nec propter hanc causam posse dici ead facere, nam vita ita pendet à corde ac à capite, si non magis, non tamen ita defendunt cor ac caput; quid ergo iam diuisibilitas vel indiuisibilitas animæ? Absolutè respondeo, animam quæ est in capite, apprehendere malum sibi imminens, ac conari etiam pedibus & corpore illud propulcare.

167 Quarta: Quia si equus occupatur intensè operando in vnâ parte, non potest in alterâ operari, ergo quia est eadem anima in vtraque. Hoc argumentum etiam retorquetur in animis brutorum imperfectorum, quæ, si nimis attendant ad aliud obiectum, non poterunt circa alia operari, nec tamen idè dicis, eorum animas esse indiuisibiles. Respondeo ergo, id oriri, non ex eo quòd sit eadem anima in vtraque parte, sed quia spiritus vitales & animales, quæ requiruntur ad omnes operationes, confluunt ad eam partem, vbi intentâ est operatio; ex defectu autem ipsorum non possunt operari reliquæ partes animæ, vel nullo modo, quia omnino deiciunt; vel debilitate, quia per pauci remanent quibus iuuentur.

SECTIO V.

Anima rationalis caret partibus essentialibus.

168 PARTES essentialis voco *subiectum*, & *formam*: & his nego componi animum, quia præcisè est forma, non aliquid compositum ex subiecto & formâ. Antè huius assertionis probationem, statuendum est contra P. Suarez Disp. 13. Metaphysicæ, sect. 14. & P. Hurtadum hic Disp. 2. § 15. possibile esse de potentia absolutâ substantiam spirituales, compositam ex subiecto & formâ spirituali. Ita Alensius, Bonauentura, Richardus, Aureolus, & alij apud P. Suarez supra num. 5. quos sequuntur recentiores nonnulli. Probatur autem efficaciter, quia nulla est in tali substantiâ implicatio, ergo.

169 Obicit Primò nonnullus, contradictionem adeo esse apertam ex conceptu potentia passiuæ, vt præ claritate sit probatu difficilis: nam illa pars, quæ esset potentia passiuæ, esset tam perfecta quàm noster animus rationalis, qui videtur esse imperfectissima substantiarum spiritualium, eò quòd sit forma corporis; ergo illa potentia passiuæ seipsa esset principium intelligendi, ergo esset actus, quia principium intelligendi est actus primus intelligendi. Respondeo Primò, falsum esse, animum nostrum rationalem esse imperfectissimam substantiam spirituales possibilem, tum quia non repugnat substantia spiritualis non intellectiua; tum quia potest esse aliqua intellectiua, non tamen tot obiectorum quor noster animus. Sicut enim in potentiis materialibus non omnes ad eadem materialia obiecta extenduntur (visus enim solum attingit colorem, auditus sonum, &c.) cur non idem etiam potest de potentia absolutâ in potentiis spiritualibus respectu obie-

170 ctorum spiritualium? Secundò respondeo, licet ea potentia passiuæ perfectior esset nostro animo, eò quòd non diceret ordinem ad materiam, non tamen idè sequi, eam necessarîo futuram intellectiua; compensaretur enim defectus virtutis intellectiua ex alio capite, sicut in sententiâ aduersariorum quodlibet accidens supernaturalis est simpliciter & absolutè perfectius animo, licet hic sit capax intelligendi & videndi Deum, illud verò non, quia excessus iste aliunde compensatur. Idem est in equo corruptibili respectu cæli incorruptibilis. Tertio, licet illa potentia passiuæ esset intellectiua, adhuc posset recipere in se aliam formam substantialem, à qua denominaretur: esse enim subiectum, nil aliud est, præsertim in sententiâ aduersâ, quàm ita vniri cum alio, vt ab eo accipiat denominationem. Si ergo res intellectiua potest vniri cum alterâ, dando illi denominationem; cur non poterit & recipiendo? quæ enim in hoc disparitas sufficiens assignari poterit? ergo res intellectiua poterit esse subiectum substantiale.

171 Secundò obicit: Quia illa forma spiritualis substantialis nullo modo egeret eo subiecto spirituali, ergo non posset vniri cum illo. Probatur Antecedens, quia in primis non egeret subiecto ad operationes materiales, illas enim non posset habere: deinde nec ad spirituales; sicut enim has potest noster animus efficere sine consortio materiæ, ita etiam & illa forma posset sine consortio subiecti. Neque hoc argumentum vrget. Ei respondeo Primò, posse ad aliquas operationes spirituales requiri consortium illius subiecti spiritualis: quamuis enim forma spiritualis esset, non dubium, posse multa fieri ab eâ formâ & subiecto simul, quæ tamen à quolibet seorsim nò possent. Posset ergo vel ad recipiendas species de obiectis, vel quia ipsum subiectum effectiue concurreret, eius indigere consortio, sicut anima equi materialis indiget materiâ pro speciebus materialibus. Cur enim non idem de formâ spirituali pro speciebus spiritualibus respectu subiecti spiritualis dicitur? tam enim videtur completa forma materialis ad operationes materiales, quàm spiritualis ad spirituales: ergo sicut forma equi pendet à materiâ pro suis operationibus, ita anima spiritualis potest pendere à subiecto spirituali pro operationibus spiritualibus. Deinde Secundò, etiam si forma illa non penderet à subiecto ad aliquam operationem, adhuc poterat naturâ suâ ordinari ad constituendum cum illo aliquid totum substantiale completum: neque enim anima rationalis idè est incompleta, & potest vniri cum materiâ, quia in materiâ potest exercere operationes, sed potius è contrario idè potest in materiâ exercere operationes, quia est incompleta, & potest cum illâ vniri. Confirmatur in formâ ignis. Licet enim diuinitus separata à materiâ posset calefacere, & exercere alias operationes quas exercet in materiâ, & quidem omnes (materia enim non concutit nisi sustentando eam formam) nihilominus, quia est incompleta, ordinatur ad materiam; ergo similiter, licet illa forma extra subiectum posset efficere omnes operationes quas in subiecto, adhuc per se posset ad subiectum ordinari tamquam compars illius substantialis.

Adde, illam formam spirituales posse esse de-